

art. 1 ad 1, ex his quæ secundo loco ponuntur, respondet quod: « Pro tanto Damascenus dicit providentiam esse voluntatem, quia voluntatem includit, et præsupponit. » Et idem dici debet ad Nyssenum, quia tam ipse, quam Damascenus eodem modo loquuntur, dicendo quod providentia est voluntas Dei, per quam omnia quæ sunt convenientem deductionem suscipiunt. Cum autem quæritur, cur potius dicimus, hos patres non tradidisse veram definitionem providentiæ per id quod formale sibi est, sed per id quod præsuppositum, quam alios qui per actum intellectus definiunt: dico omnes idem tradidisse quoad sensum, sed Nyssenum, et Damascenum expressisse id quod efficaciam est in providentia, non negando id quod ordinationis et directionis est; alios vero e converso. Nam Damascenus non dicit providentiam esse voluntatem quomodo-cumque, sed: « Per quam res convenientem deductionem suscipiunt; » conveniens autem deductio est deductio ordinata et regulata secundum proportionem mediorum ad finem. Ordinare autem sapientis est et proprium rationis. Unde voluntas debet ibi intelligi pro eo quod se habet ut principium hujus ordinatæ deductionis quantum ad efficaciam: quia quoad ipsam intrinsicam rationem ordinationis, non potest a voluntate habere, sed ab intellectu. Et idem est sensus Nysseni. Ponitur ergo voluntas ut quid præsuppositum ad ordinationem hujus convenientiæ, et ut præbens illi efficaciam, non ut id in quo formaliter providentia constituitur, quæ convenientiam, et ordinationem deductionis facit.

XX. Ad secundam probationem dicitur, quod efficacia voluntatis est ratio ut aliquid sit futurum, omni alio secluso, distinguo; omni alio

secluso dante efficaciam, concedo (hanc enim solum dat voluntas;) ordinante et applicante debito modo ad effectum, nego. Itaque efficacia voluntatis, licet ab ipsa voluntate ut a principio totaliter oriatur, tamen non per solam voluntatem, ut voluntas præcise est, explicatur, et applicatur, sed per alias potentias, tam per ordinativam, quæ est intellectus, quam executivam, quæ est omnipotentia. Et efficacia voluntatis quousque sit applicata non intelligitur habere effectum, non reddere aliquid simpliciter, et complete futurum, sed solum præsuppositive, et originative. Applicatur autem hæc efficacia ad faciendum et exequendum ordinato modo, et disponendo ac regulando media, quod fit per imperium. Unde requirit actum intellectus qui ordinativus est, non ut præbeat efficaciam, sed ut applicet ordinato modo illam ad effectum; et ante efficaciam sic applicatam et sic ordinatam non videtur effectus ut futurus simpliciter, et absolute, et modo ordinato, sicut fit in re.

XXI. Ad id quod dicitur de cura et sollicitudine respondetur ex D. Thoma hic q. xxii, art. 1 ad ii, quod cura importat duo, et rationem ordinis, quæ dicitur providentia et executionem, quæ dicitur gubernatio. Primum ergo pertinet ad intellectum. Secundum fit per applicationem voluntatis utentis aliis potentiis ad exequendum; et sic potest importare studium, subsecutum tamen ad rationem providentiæ, et ordinationis rationis.

ARTICULUS III.

Ad quem actum intellectus pertineat prædestinatio?

I. Cum ex principiis adeo oppositis procedatur in his materiis de prædestinatione, providentia, et

scientia Dei ab his qui defundunt scientiam mediam, et ex ipsa totam Dei gubernationem stabilire volunt, et ab his qui eam negant, fere in omnibus quæstionibus, et difficultatibus hujus materiæ, oportet aliquid de illa attingere, quia ex ea maxime pendet resolutio, et manifestatio veritatis in his controversiis. Quia ergo, ut dictum est præcedenti articulo, providentia Dei, et prædestinatio ad intellectus actum spectat, licet præsupponat voluntatem, et intentionem finis, duo restant tractanda in hoc et sequenti articulo. In isto quiddam, quantum ad actum intellectus, quisnam actus sit in quo dicimus eam formaliter consistere, et quomodo non sufficiat ad providentiam Dei conditionata scientia media. In sequenti vero articulo quantum ad actum voluntatis, quem supponit antecedenter, an detur, et requiratur intentio Dei efficax, et absoluta de ipso fine, ut prædestinatio et providentia ordinet efficaciter de mediis, et ita non solum sit directiva, et monstrativa ejus quod faciendum est, sed etiam prædefinitiva.

PUNCTUS DIFFICULTATIS.

II. Quod ergo attinet ad præsentem difficultatem hujus articuli conveniunt omnes providentiam et prædestinationem in intellectu pertinere ad partem practicam, non ad cognitionem pure speculativam. Id disertè docuit S. Thomas generaliter de omni providentia q. v de verit. art. 1, et specialiter de prædestinatione q. vi de verit. art. 1 ad vii.

Et ratio est manifesta, quia finis prudentiæ, et providentiæ non est sola veritatis cognitio, indagando quidditates, et naturas rerum, sed directio ad consecutionem alicujus finis per media proportionata et con-

venientia: ergo habet pro fine opus sub ratione et exercitio operis, et sub ratione assequibilis, non sub ratione pure speculabilis, et solum sistendo intra cognitionem et intra intellectum, sed extra illum assequendo; ad hoc enim ponitur providentia et per eam media ordinantur ut finis extra cognitionem assequatur, non intra solum apprehendatur. Directio autem ad id quod est extra cognitionem tendens seu ordinans, et non intra intellectum sistens, practica est, quia ordinatur ad opus quod non est sola veritatis cognitio, sed extra eam assecutio.

III. Loquendo autem de actibus ad partem practicam concurrentibus, loqui possumus de practico dupliciter. Uno modo ut applicante se ad opus. Alio modo, de virtute quidem ejus factiva et operativa, sed non ut de facto applicata, sicut ars quæ pertinet ad partem practicam potest considerari fit tradens regulas operandi, quasi in universali, et in abstracto, nondum tamen in particulari se applicans ad operandum, et sub hac universalitate, et abstractione habet modum speculationis, non quia substantialiter speculativa sit, cum sit ordinativa ad opus, sed quia abstrahit ab exercitio et applicatione ad operandum, et solum in universali considerat regulas suas, et quidquid in universali consideratur, largo modo dicitur speculativum, quia nondum exercetur. Qua ratione etiam S. Thomas dixit in 1 dist. xl, q. 1, art. ii, quod: « Providentia potest sicut et ars gubernatoria salvari in speculatione tantum. » In præsentem non agimus de providentia sic, sed de ipsa ut applicata ad exercitium operandi, et non solum abstracte et in universali, sed modo practico, et in particulari applicans ad operandum. Sub hac ergo consideratione, quia intellectus practicus non potest applica-

ri ad opus, nisi secundum efficaciam voluntatis, distinguimus quatuor præcipuos actus intellectus juxta ordinem ad quatuor principales actus voluntatis, quibus tota applicatio ad finem, et ad media dirigitur.

Primus actus voluntatis est simplex volitio alicujus finis, quæ dicitur simplex, quia ibi nondum reluctet aliquis ordo ad media, nec ad executionem, sed pure movetur voluntas a bonitate, et convenientia finis in se simplici quodam amore. Et huic actui correspondet ex parte intellectus propositio convenientiæ et bonitatis finis secundum se.

Secundus actus est in voluntate intentio finis, quando non solum proponitur ipsa bonitas finis secundum se, sed cum ordine ad media, quia proponitur ut assequibilis, et sic intenditur, hoc est non solum amatur, sed in illum tenditur. Et huic actui correspondet in intellectu judicium de bonitate finis ut convenientis est ad assequendum et habendum; et non solum ad complacendum.

Tertius actus est jam non circa finem, sed circa media apta et conducentia ad illam assecutionem, et est electio voluntatis, quatenus ex diversis mediis, unum determinate acceptat, et acceptatio illa est electio. Et huic actui correspondet ex parte intellectus consilium et inquisitio, atque judicium per modum sententiæ et determinationis de convenientia talis medii, ut acceptetur.

Quartus actus est executio seu usus mediorum, et applicatio potentiarum exequentium, quo ultimate res producitur ad debitum finem et executionem. Et huic actui correspondet ex parte intellectus judicium directivum et ordinativum ipsius executionis, quod vocatur imperium. De his actibus agit D. Tho-

mas ordine suo in prima secundæ. De simplici voluntate quæst. viii: de intentione q. xii: de electione q. xiii: de usu et imperio, q. xvi et xvii. Ex his actibus practicis, et ex parte intellectus dirigentibus istos actus voluntatis quæstio oritur, in quonam ex illis principaliter constituenda sit providentia et prædestinatio in Deo.

IV. Non est difficultas in præsentia circa primum actum qui solum respicit simplicem voluntatem finis: hoc enim certum est ad providentiam non sufficere, sed multo ante rationem providentiæ præcedere et præsupponi.

Ratio est, quia providentia præparat media quibus assequendus est finis, et illa ordinat et disponit: nam et ipsa prudentia non præstituit finem virtutibus, sed medium determinat secundum circumstantias particulares occurrentes, et ita potius regitur arbitrio, quam arte et certis regulis, sed juxta occurrentiam casuum, et circumstantiarum determinat quid agendum sit. Certum est ergo quod præparatio providentiæ non est circa ipsum finem: ad hunc enim diligendum nulla præparatio est necessaria, sed sola cognitio convenientiæ aut disconvenientiæ ejus. Solum ergo ad ipsum assequendum præparatione opus est ex parte mediorum, quæ cum varia esse soleant, et ut in re ponantur difficultatibus plena, indigent præparatione et provisione speciali. Ubi ergo nullus reluctet ordo ad media, sed ipse finis simplici modo diligitur, providentia nondum habet locum, et sic pro simplici finis amore nondum est providentia.

V. Circa alios actus dirigentes media, vel de fine in ordine ad media tractantes, præsens difficultas esse potest, præsertim circa tertium et quartum actum. Nam quartus ille

actus qui vocatur imperium, et dirigit ultimate executionem, a quibusdam recentioribus negatur tam in nobis, quam in Deo distinctus a consilio et judicio præcedente electionem. Si vero post electionem datur aliquis actus intellectus pro executione, solum erit ad notificandam electionem et decretum voluntatis, non ad auferendam specialem efficaciam ad exequendum, quæ dicitur imperium. Similiter tertius actus qui importat consilium et disquisitionem circa media, licet in nobis necessarius sit post finem amatum et intentum, quia imperfecto modo procedimus, et amplectimur sapius finem sine sufficiente notitia ex expeditione de mediis, ideoque post intentum finem indigemus consultatione, et judicio circa electionem mediorum; in Deo tamen id necessarium non est, quia non procedit hoc imperfecto modo, sed nullum finem proponit diligendum sine perfectissima et comprehensiva omnium mediorum et expeditione omnium difficultatum. Quare post intentum finem et amatum efficaciter, nulla indiget cognitione proveniente de mediis et præparante illa ac determinante per modum consilii et prudentiæ, quia totum hoc supponitur jam cognitum et propositum voluntati, quando finem intendit, præsertim quia Deus, imo, et Angelus qui non utitur discursu, nec procedit a principiis ad conclusiones diversis actibus, etiam non utitur diversis actibus pro fine amando et mediis, sed in fine vult media, eo quod non regulantur isti actus discursu, sed comprehensione, ideoque immobiliter tendit in media, quando ex perfecta deliberatione tendit, sicut et finem. Et sic nec Deus, nec Angelus in his quæ perfecte et ultimate vult, indigent providentia orta post intentum finem circa consilium et

judicium de mediis, sed antecederet in ipsa fine amando, etiam media involvuntur.

VI. Quare reducuntur hi auctores ipsa vi hujus discursus ad ponendam providentiam, et prædestinationem Dei in actu intellectus præcedente intentionem finis efficacem qui utique pertinet ad scientiam mediam, quæ omnia media, et eorum possibilitas, et congruentia proponitur voluntati ante omne decretum liberum, et efficax Dei, et sic non indiget ulterius consulere aut inquirere, et judicare de mediis, quia ibi ex comprehensione infinita illius primi judicii omnia proponuntur, et sic provisa, et ordinata manent. Sed quia providentia debet esse libera et efficax, et operari per decreta libera, ideo illa scientia media non dicitur providentia, quantum ad providentiæ denominationem, et vim, quousque accedat voluntatis efficax determinatio, quæ unum ordinem rerum præ alio acceptet, et exequi velit; inde enim providentia efficaciam sumit, et determinationem liberam, voluntate subsequente non antecedente.

RESOLUTIO.

VII. Non est locus tractandi modo et ostendendi dari in nobis actum efficacem imperii, distinctum ab electione, et judicio consiliativo, et ordinativo ipsius electionis. Hoc Deo dante ostendemus 1-2, circa quæstionem xvi et xvii, contra p. Vasquez ibidem disp. XLIX; c. iv, et videri etiam potest i tomo, i part. disp. LXXXVII, c. iii, idemque sentit p. Suarez lib. i de prædestinatione, c. xvi: Arrubal hic disp. LXIII, c. iii, loquendo de imperio Dei: Alarcon, tract. iv de prædestin. disp. i, c. ii, et alii, negantes talem actum imperii in mente divina: licet non de-

sint alii ex eadem familia, qui talem actum imperii in Deo admittunt, et explicant, ut p. Herice hic disp. xxii, c. iv, et Ruiz, tomo de providentia, isp. iii, sect. vii, et tomo de prædestinatione, disp. i, sect. vi. Itaque contra auctores negantes in nobis actum imperii in intellectu post electionem, qui non solum sit cognitio manifestativa ipsius electionis, sed etiam efficaciter inductiva, in præsentia agendum non est, præsertim quoad illam partem de efficacia istius actus imperii: hoc enim maxime movet hos auctores, quia non inveniunt quomodo cognitio, quæ de se solum est repræsentativa et manifestativa sui objecti, possit etiam movere per modum impulsus, et efficaciam, qui est proprius modus voluntatis. Si autem ille actus non habet istam efficaciam, sed nudam propositionem et manifestationem, non est inconveniens quod detur, sed nec est necessarius, quia ad id sufficit cognitio illa, et iudicium antecedens electionem, qua decernitur hoc determinatum medium esse eligendum: hoc enim iudicium durat durante electione, et sufficienter manifestat illam.

VIII. Cæterum nobis modo sufficit D. Thomæ mentem in hoc actu imperii statuendo manifestare. Nam ipse s. doctor utrumque affirmat de illo actu imperii, et quod est actus intellectus secutus ad electionem, et distinctus a iudicio, seu actu regulante electionem, et quod participat a voluntate efficaciam movendi.

Primum affirmat 1-2, q. xvii. art. iii ad primum, ubi inquit quod: « Non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum, qui est imperium, sed aliquis præcedit, scilicet electio, et aliquis sequitur, scilicet usus, quia post determinationem consilii, quæ est iudicium rationis, voluntas eli-

git, et post electionem ratio imperat ei per quod agendum est quod eligitur, et tunc demum voluntas incipit uti, exequendo imperium rationis. » Ubi manifeste S. Thomas distinguit iudicium rationis et consilium quod antecedit electionem ab alio actu etiam rationis, qui sequitur post electionem, et antecedit usum executivum voluntatis, vocaturque imperium.

Secundum vero late tradit s. doctor q. xxii de verit. art. xiii et significat 1-2, quæst. xvii, art. i, ubi multis ostendit quod quando duo agentia ita se habent, quod unum movetur et recipit impressionem ex alio, potest agens motum habere actionem ex propriis, et actionem ex impressione superioris, sicut aqua maris ex propriis gravitat, et movetur deorsum, ex impressione autem lunæ fluit et refluit: et sphaera solis ex propriis movetur ab occidente in orientem, vel a septentrione ad austrum, ex impressione autem primi mobilis movetur motu diurno ab oriente in occidentem. Sic voluntas, et intellectus se habent ut duæ potentiam ad invicem se moventes, voluntas quidem quoad efficaciam, et exercitium; intellectus vero quoad specificationem, ordinando, et conferendo. Ex propriis ergo voluntas tantum habet ipsum velle per modum inclinationis et impulsus, ex participatione autem rationis habet velle cum collatione, et unum præ alio, ut in electione, vel cum ordine ad aliud, ut finem ad media in intentione. Et similiter intellectus ex propriis solum habet cognoscere, manifestare, dicere, sed ex impressione voluntatis potest intimare cum efficacia repræsentata, et participata a voluntate. Et sic se habet in actu imperii. Ita philosophatur ibi D. Thomas. Nos hanc ejus mentem ad locum citatum pri-

mæ secundæ latius expendemus Deo dante.

Nunc ergo dicimus duo contra præfatos auctores.

IX. Primum est quod actus divinæ providentiæ non potest consistere in actu illo cognitionis proponente indifferenter omnia media, sicut attingi dicuntur per scientiam simplicis intelligentiæ, vel conditionatam mediam, etiam adjuncta voluntate determinante subsequuta et nullo modo antecedente, ut jam articulo præcedenti insinuavimus, sed necessario debere admitti pro divina providentiæ actum intellectus ordinantem de mediis ex supposita volitione finis.

Secundum est, quod admissio actu ordinativo mediorum post liberam volitionem finis, non debet providentiæ consistere in solo actu ordinativo mediorum ad eligendum, qui præcedit in nobis electionem, sed ordinativo ad exequendum, qui sequitur ad electionem, et vocatur imperium. Qui quidem actus in Deo identice sunt unus, sicut omnia in Deo sunt unus, sed nostro modo intelligendi distinguuntur, sicut alii actus, et alia attributa.

X. Primum dictum, ut ostendimus præcedenti articulo est expressum D. Thomæ, qui providentiæ constituit in actu intellectus, non absolute, sed præsupponente volitionem finis, in hac quæstione xxii, art. i, et aliis locis ibi citatis, et est omnium discipulorum ejus; tum quia negant scientiam mediam, et consequenter non possunt in ipsa ponere actum providentiæ; tum quia admittunt cum D. Thomæ etiam in Deo dari actum intellectus ordinativum, et prudentialem circa media post volitionem liberam finis. Et specialiter agens D. Thomas de prædestinatione, semper docet quod præsupponit electionem, et dilectionem eorum qui prædestinantur: nec

enim præparantur, et disponuntur media ad consecutionem finis, nisi his qui ad talem finem electi sunt, neque eliguntur, nisi qui amantur, et diliguntur præ aliis; et ita licet prædestinatio non supponat dilectionem ipsius medii, seu effectus prædestinationis, bene tamen dilectionem personæ ad finem, ita quod ex amore unius proceditur ad amandum aliud; et sic non præsupponitur futuritio ejus quod prædestinatur, sed personæ quæ diligitur, ordine intentionis. Hanc autem electionem, et dilectionem præcedere debere prædestinationem s. doctor in præsentia quæstione xxiii, art. iv et q. vi de verit. art. i, et in i, dist. xli, q. i, art. ii. Et sumitur ex illo Psalmo xvii: *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, ubi me esse volitum, seu amatum assignatur ut ratio salvationis, prædestinatio autem est quæ salutem dat et procurat: ergo præsupponit volitionem et dilectionem personæ, Joan. iii: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret*: Galat. ii: *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me*: Matth. xi: *Revelasti ea parvulis ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*. Ubi multi effectus seu præparatio diversorum mediorum numeratur, et omnia oriuntur, et præsupponunt dilectionem: dare enim unigenitum mundo, actus fuit divinæ providentiæ, et prædestinatis, qua Christum in redemptorem prædestinavit; et tamen hic actus providentiæ præsupponebat in Deo amorem mundi, quia ille fuit causa illius providentiæ; et idem est de traditione sui pro me, quæ est traditio Christi applicata ad me: hæc enim applicatio prædestinativa fuit, et tamen ex dilectione mei procedebat. Revelatio etiam facta ad parvulos est medium præparatum a prædestinatione; cum sit manifestatio fidei, quæ ad vitam æternam